

Discursus de Via Lactea / Ludolphi Georgi Lundenl.

Contributors

Lünde, Ludolff Georg.

Publication/Creation

Helmstadii : Typis Jacobi Mulleri, Anno M DC LXV. [1665]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/upx5cm7f>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISCVRSVS
DE
VIA LACTEA

LYDOLPHI GEORGI LYNDENI
HANNOVERANI.

Dup




HELMSTADII,
TYPIS JACOBI MÜLLERI,
ANNO M DC LXV.

MAXIME REVERENDO, NOBILISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO
DN. JOHANNI

LIBERI ET IMPERIALIS
COENOBII LOCCENSIS
ABBATI VENERABILI,

NEC NON
ORDINVM PROVINCIALIVM DVCA-
TVS BRVNSVICO-CALENBERGICI
CONSILIARIO GRA-
VISSIMO

MAGNO ERVDITORVM PATRONO



HVNC
DE VIA LACTEA
DISCVRSVM

In mei meorumq; studiorum
patrocinium sacrum esse
volui

Ludolphus Georgius Lünde
Hannoveranus.



DE
VIA LACTEA
PROOEMIUM.

Recensens authores de materia jam laudata.

§. I.

Non postremam partem Pæ-
diæ credo, qua traduntur materiæ tractandæ Autho-
res, quos vocamus; ea enim nos quasi manu ducit
ad fontes, ex quibus scriptores rei istius sua vel hauserunt,
vel illustrarunt. Ne quid ergo dissimilem, juvat heic loci re-
censere eos, quorum opera usus sum, & qui in eisdem laudati
occurrerunt. Causas mei propositi sunt, tum ne in ipsa le-
ctione nimia forsan allegatione lectori molestiam crearem,
tum, si tibi non abs re visum fuerit, vel mutos istos præcepto-
res adire vel si mea tibi fastidiunt ex eis sitim explere posses.

§. 2. Agmen autem ducat Philosophorum Aquila ARI-
STOTELES qui de via lactea agit *meteororum libro I. cap. 8. 9.*
vel ut alii diviserunt *textu 30. p. 742.* Qui vero hunc lucubra-
tionibus illustrarunt in tres classes Græcorum, Arabum, La-
tinorum referri possunt. Ex priori laudo ALEXANDRVM
APHRODISIENSEM *fol. 81.* OLYMPIODORVM *f. 15.* JO-
HANNEM GRAMMATICVM PHILOPONVM *f. 99.* Ex
secunda classe unicū mihi videre obtigit AVERROEN dico,
cujus *digressiones in Aristotelis met. I. p. 447.* poteris consulere.

§.3. Latinorum autem exercitus in duas partes mihi erit dividendus: in prima acie constituam eos, quos ipse evolvi. PETRVS TATARETVS *fol. 80* JACOBVS DE AMSFORDIA *f. 14.* JOH. LVDOVICVS HAVENREVERTVS *p. 89.* NICOLAVS CABEVS *To. I. p. 239.* JOHANNES VELCVRIO *III. 8. p. 298.* CONIMBRICENSIS *tract. IV. c. 1. 2 p. 34.* Et qui hos fideliter secutus est, ne ullo quidem verbo transposito aut omisso OTHO CASMANNVS *Astrologie part. 1. c. 14. p. 563.* Alteram suppediabant authores ab aliis hac in re laudati: ALBERTVS MAGNVS, JOHANNES DAMASCENVS, PETRVS AB ALLIACO, THOMAS WALDENSIS, ANTONIVS POLVS, AVERSA, ALPHREDVS ANGLICVS, AVGVSTINVS NIPHVS, BARTHOLOMÆVS MASTRIVS, THEOB. GERLACHIVS, JOHANNES COCHLÆVS, ANTONIVS ROCCO, JOH. PERIONIVS, JOH. DVLLAERT, JOH. VERSOR, JACOBVS TIMÆVS, NICOLAVS DORBELLVS, JOH. COTTVNIVS, HENR. PACKER, CAJETANVS, MICH. STANHVSIVS, VICOMERCATVS, GERHARDVS DE MONTE.

§.4. Aristotelem excipiant Mathematicorum antesignani & discipuli, CLAVDIVS PTOLOMÆVS *Almagest. VIII. 2 p. 194.* PROCLVS DIADOCHVS in *Sphæra sub fin. & hujus commentator* JOH. STOEFLERVS *fol. 69.* GALILÆVS GALILÆI *Syder. Nunc. p. 32.* GEORGIUS VALLA in *instit. Astronom.* TYCHO BRAHE in *conclusionibus de stella nova anni 1572. p. 796.* CLAVIVS in *sphæra.* JOHANNES BAPTISTA RICCIOLUS *Almagest nov. part. 1. lib. 6. c. 23. p. 474.* ERHARDVS WEIGELIVS *sphærica lib. 1. sect. 1. c. 1. def. 9. p. 25.* ÆGIDIUS STRAUCHIVS *Astrognos. aphor. 160. pag. III.* RUDOLPHVS SNELLIUS in *Sphæram Corn. Valerii p. 58.*

§.5. Quibus subjungo Historicos, quos inter PLUTARCHVS *de placitis Philosophorum III. 1. p. 28.* PLINIUS *naturalis historia XVIII. 29. p. 866.* & qui hujus librum secundum com-

men-

mentario illustravit JACOBUS MILICHIUS *c.9. p.108.* Neq;
negligendi erunt Poetæ: ARATUS *phanom. pag.83.* & hujus
Interpretes: CICERO *pag.12.* (cujus etiam *Somnium me-*
minit Viæ lacteæ, & in illud notæ MACROBII *l.15. pag.99.*)
RUFUS FESTUS AVIENUS. *p.53.* OVIDIUS *metamorph.*
I.v.165. p.14. M. MANILIUS *astronom. I. pag.22.* Poëtas sequan-
tur Mythologi: HYGINUS *Poetic. Astronom. pag.231.* NA-
TALES COMES *mythologiae lib. 11. pag. 135.* PHILIPPUS
CÆSIUS A ZESEN *in calo astronomico-poetico memb. I.*
pag. 14.

§.6. Agmen demum claudat turma Physicorum excel-
lentissimorum. LIBERTUS FROMONDUS *meteorologi-*
corum II. 5. art. 2. pag.99. CONRADUS HORNEIUS *disp.*
physica VII. §. 27. pag.145. ANDREAS KINDERLINGIUS
disput. de mundo & calo §. 64. MARCUS FRIDERICUS
WENDELINUS *contemplat. physic. sect. III. c.16 th.4. pag.527.*
PETRUS GASSENDUS *in animadversionibus ad Diogenem*
Laertium de meteorologia Epicuri pag.1167. HIERONYMVS
CARDANVS *de subtilitate lib. 4. p. 198.* JULIUS CÆSAR
SCALIGER *contra Cardanum exercit.72. pag.262.* JACOBUS
MARTINI *disp. Meteorol. II. theorem.12.* DANIEL SEN-
NERTUS *epitome natur. scientiæ II.2. pag. 174.* GILBERTUS
JACHÆUS *instit. physic. VII. 8. p.571.* & in has JOH. ZEISOL-
DI *notas. pag 573.* JOH. SPERLINGIUS *in institut. phys. III.*
4. quæst.10. pag 533. FORTUNIUS LICETUS *in l. de novis astris*
& exercitationibus de lucidis in sublimi c.3. p.15. CREMONI-
NUS *in Apologia de Via Lactea.* PETRUS GALTRUCHIUS
physicæ particularis tract. II. c.2. §.1 p.117. JOH. GARCÆUS *in*
meteorologia. c.21. p. 75. JOH. GERALDINUS HIBERNUS
tract. de meteoris part.2. sect.5. difficult. 2. p.131. HERMOLA-
US BARBARVS *in compend. scient. natur. l.4. pag.57.* JOH.
MAGIRVS *in physica peripatetica IV.5. pag.144.* JOHAN.
SCHARFIVS *in physica speciali I.3. pag 263.* HANNIBAL
ROSSELIUS *comment. ad Pymandrum Hermetis Mercurii*

Trismegisti tomo IV. lib. 4. comm. 2. digressione 2. cap. 4. pag. 137.
MICHAEL ZANARDVS *in universo caelesti dubio 47. p. 66.*
Et universo elementari. part. 3. quæst. 4. pag. 193. **MICHAEL**
WATSONIVS *in synopsi totius philosophiæ sect. 3. cap. 2. §. pag.*
369. **SYSTEMA PHYSICVM GOTHANVM** *lib. 3. part.*
special. cap. 2. pag. 310. **WOLFGANGVS MEVRERVS** *in*
meteorologia. pag. 102. **JACOBVS AVBERTVS VINDO**
institut. phys. part. 2. cap. 6. p. 124. **GEORGIVS LIEBLERVS**
epit. meteor. lib. 1. pag. 274. **MARCVS FRYTSCHIVS** *meth.*
meteor. XV. fol. 97.

§. 7. Hi fuere, quorum librorum usum DEVS mihi concessit: sciens prætereo Erymologicos SVIDAM, HESYCHIVM, ISIDORVM HISPALENSEM, GERHARDVM JOHANNEM VOSSIVM, aliosq; recentiores, quos ipse poteris evolvere. Quod si vero Præceptorum meorum, qui adhuc in vivis sunt & in ILLVSTRI JULIA munera PROFESSORVM summa cum laude obeunt, hic mentionem factur' essem vererer ne adulationis crimen me incurrere quis dictitaret; potius ergo gratæ meæ menti sacroque silentio hac vice eorum mihi nunquam non decantandam & sæpius recolendam memoriam involvens ad rem ipsam accedo & interea, dum ab aliis limatiora expeto & exspecto, versus sequentes EVRIPIDIS meos facio:

Καὶ γὰρ ἀδίκημνοι
 Σιγόμεθα κρείσσωνν νικώμενοι

CAPVT I.

De nomine & situ Viæ Lactæ.

§. I.



Viæ etymologiam quod

spectat *VARRO de Lingua Latina lib. IV. pag. 9. II. hanc tradit: via iter, quod ea vehendo teritur -- qua vehebant Viæ dictæ. JOSEPH. SCALIGER in Indice verborum etymologia perperam à Varrone traditæ veram originem viæ reddere conatur ex Lingua Græca. Putat enim οἶα idem esse cum via. Videatur pag. 176. & JEREMIAE HOELZLINI comm. ad Argonautica APOLLONII. Adducit Vir ille summus pro sua sententia APOLLONIUM, at vereor, ne rectius vertatur cum SCHOLIASTE GRÆCO APOLLONII οἶα per κῶμην. APOLLONII versus hi sunt II. 138. 139.*

Πέρθοντο γὰρ ἢ μὲν ἄλωαι
Ἡδ' οἶα τῆμ' & δῆϊα ὑπὸ δουρὶ Λύκοιο

Vastabantur enim & vineæ

Et pagi ab hostili gladio Lyci.

Innuit scilicet Apollonius, Lycum totam illam regionem evertisse vastando vineas & pagos. *GERH. JOH. VOSSIVS etym. Ling. Lat. p. 555. cum JULIO CÆS. SCALIGERO accersit ab ἰω præponendo digamma Æolicum.*

§. 2. Porro quid via sit notandum, quod aliam definitionem subministret vulgus, aliam Ictorum schola. Vulgus κατὰ γενετικῶς usurpat pro quovis loco, per quem ire omnibus licet. Icti aliter: hos inter JOH. BELLONVS etymologiarum Juris pag. 299. definit, quod sit *jus eundi & agendi & ambulandi hominis*. Hinc si quando accuratius loqui volūt, distinguere amant inter actum, iter & viam, licet *nec exposite nec satis aperte illorum documentis tradatur, qua mensura*
quaq̃

quāq; finitione iter, actus aut via constet, si *ALEXANDRO AB ALEXANDRO Genial. dierum II. 20. pag. 216.* fidem adhibemus, cum tamen *LEX XII TABB. Via latitudo in porrectum octo pedum esto in anfractum sedecim*: latitudinem viæ satis apertè definiat. Vide *ANTON. AUGUSTINI Emendationum II. 11. pag. 113.* Quid autem sit *in porrectum*, *in anfractum* nondum inter eruditos convenit: consulatur hac de re *JOH. ROSINI Antiquitat. Roman. VIII. part. 1. cap. 6. p. 1286.*

§. 3. Hæc de propria significatione viæ, quam obiter nostris thesibus inseruimus: progredimur ad metaphoricam, quam nostrum institutum postulat contemplari. Constat autem hanc significationem ei tribui μεταφορικῶς ob similitudinem quandam, quæ consistit in affinitate, quàm zona illa habet cum via communem, latitudine scilicet, eadem ratione, quâ & zona dicitur. Neque enim spacium illud revera pedibus teritur, aut zona illa quidpiam circumdatur. Additur autem *Lactea* ob candorem, qui, cum nostro visui sese offert, lactis speciem videtur obtinere: unde & ab *ARISTOTELE* semper vocatur simpliciter γᾶλα, *NICOLAUS CABEVS* quidem monet, *ARISTOTELEM* viam lacteam nativo sibi vocabulo nominare *Galaxiam*, verùm dubitamus, siquidem nobis non occurrit locus in textu ejusdem, quo via lactea isto nomine insignita sit. Interpretes verò *Aristotelis*, & qui post eū de ea re verba fecerunt eo nomine usos fuisse non negamus. Hinc sæpius occurrit γαλαξίας κυκλῶ item γαλαξία.

§. 4. Præterea denotat (1) gemmam, de qua *PLINIVS XXXVII. 10. pag. 1592.* ita: *Galaxiam aliqui galactiten vocant. Is ex vino colore lactis est. Eandem dicunt leucam & leucographiam, appellant & synnephiten, tritam lactis succo aut sapore notabilem. In educatione nutricibus lactis fecunditatem, infantium quoque alligata collo salivam facere dicitur, in ore autem liquefcere &c* Vide si lubet *JVLII SOLINI POLYHISTOREM p. 89. CHRISTOPHORI ENCELII de re metallica III. 19. pag. 204. & MARBODEI enchiridion de lapidibus pretiosis cap. 31. f. 32. cum scholiis*

scholius PICTORII VILLINGENSIS (2) Chiromantici lineam illam, quæ à carpo ad auricularem extenditur, viam lacteam vocant. Vocatur aliàs soror hepaticæ & magnæ felicitatis argumentum esse dicitur. Consulatur *HIER. CARDANI de rerum varietate XV. 79. p. 719.* (3) pultem hordeaceam in lacte coctam. Et (4) denique festum aliquod, in quo veteres pul-tem illam coxerunt. Audiamus *HESYCHIVM* p. 159. Γαλαξία εορτή ἐν ᾗ ἔψουσι γαλαξίαν ἐπὶ δὲ πολλὸς κείθιν & ἐν γάλακτι.

§. 5. Arabes viam lacteam vocant *Majarati* (ut *JOHANNES STOEFLERVS* habet) cujus duas affert expositiones. Quidam exposuerunt per *aream quæ movetur*, id est, *platea*, quæ ad motum firmamenti movetur: *area* dicitur quasi ardore solis facta. Alludere autem videtur illorum expositio ad fabulam de qua sequenti capite. Quidam per *arcam, quæ movetur*. In lacteo enim circulo plurimæ sunt stellæ minutissimæ causantes in oculis insipientium colorem album seu lacteum. Hæ autem stellæ in lacteo circulo, ut in arca arcentur & continentur, ideo non inepte dicitur *arca*. *ATHANASIO KIRCHERO* referente in literis ad *JOHANNEM BAPTISTAM RICCIOLVM*, apud Arabes & omnes pene orientales viam lacteam *Almegiret* dici deprehendimus, quod interpretatur tractum ex sparsa palea, seu ductum in cælo, qui dicitur via straminis: id quod confirmat autoritate *Aben-Ragel in Astronomia*. Idem laudatus vir docet nos viam lacteam ab Ebræis vocari *Nedibath theben* à Chaldæis *Schabil tabno*, ab Æthiopibus *Chasara tsamangadu*, ac demum ab Ægyptiis *πινωτὴν τέπιτχ* seu viam straminis. Plura nomina, quæ sortitur lactea via in sequentibus adducentur.

§. 6. Situm viæ lacteæ in cælo *PTOLOMÆVS* & *RICCIOLVS* accurate describunt, ex quibus nostris thesibus eundem inferemus, licet oculis melius in cælo serena nocte contemplari possimus. Differt autem descriptio laudatorum virorum in eo, quod *PTOLOMÆVS* à pedibus *Centauri* eam aspicietur, *RICCIOLVS* verò à segmento *Coluri* transiente per
sectio-

sectionem vernam incipiat. Hujus vestigiis insistentes, hanc
 viæ lacteæ situs delineationem damus. Ductus nempe viæ la-
 ctææ transit per *Cassiopeam*, *Perseum*, *Erichthonem* sive *Auri-*
gam, pedes *Geminorum*, *Orionis* clavam, *Canis majoris* caudam,
Argonavem, *Centauri* pedes: hîc in bivium abit & tanquam
 fluviûs infulam cœli partem circumdat. Orientalior transit
 per *Aram*, extremam partem *Scorpii*, pedemque *Ophiuchi* o-
 rientaliorem & arcum *Sagittarii*, Occidentalior per priorem
 partem *Scorpii* caudæ, genu *Ophiuchi*, ultra quod conjungitur
 transverso tramite cum ramo orientali; sed recto tramite
 pergit divisio versus polos & pars orientalis fertur per pedes
Antinoi per *Aquilam*, *Cygni* alam succedentem: occidentalior
 autem per *Serpentis* flexuram, manumq; *Ophiuchi* dextram,
 & collum *cygni*, catenam manumque dextram *Andromeda*,
 absolvitque suam periodum in *Cassiopea*. Ita & *MANILIVS*
lib.1.pag.22. postquam de zodiaco verba fecerat eleganter de-
 pingit sitû circuli lactei sequentibus non minus doctis quam
 elegantibus versibus:

Alter in adversum positis succedit ad Arctos
Et paulum à boreâ gyro sua fila reducit,
Transitq; inversa per signa Cassiopeæ.
Inde per obliquum descendens tangit Olorem
Æstivosq; secat fines, Aquilamque supinam
Temporaq; æquantem gyrum Zonamque ferentem
Solis equos intra caudam, qua Scorpius ardet,
Extremamq; Sagittarii levam atq; Sagittam.
Inde suos sinuat flexus per crura pedesque
Centauri alterius rursusq; ascendere cælum
Incipit, Argivamq; ratem per aplustria summa
Et medium mundi gyrum, Geminosq; per ima
Signa secans subit Heniochum, teq; inde profectus
Cassiopea petens super ipsum Persea transit,
Orbemq; ex illa captum concludit in ipsa.

CAPVT II.

Quo proponitur Pythagoreorum de Via lactea opinio.

§. I.

Philosophus noster Pythagoreorum opiniones loco laudato his proponit verbis: Τῶν καλῶν Πυθαγορείων φασί τινες ὁδὸν εἶναι ταύτην· οἱ μὲν τῶν ἐκπεσόντων πινὸς ἀτέρων καὶ τὴν λευκὴν ὅτι φαίνεται φθορὰν· οἱ δὲ τὸν ἥλιον τοῦτον τὸν κύκλον φέρεσθαι ποτὲ φασιν. Refert scilicet quosdam Pythagoreos asseruisse istum circulum esse viam quandam & quidem combustam; de hoc enim inter eos convenit. At cum in eo ingenium istorum non posset acquiescere, forsitan ulterius cæperunt disquirere, quidnam fuisset istud, quod circulum illum combussisset. Supposuerunt autem dicti homines: cælum esse combustile sive non repugnare naturæ cæli, quo minus comburi se pateretur & cæli combusti partem ex incendio induisse candorem; quemadmodum lignum vi subiecti ignis & mox extincti in nigrum carbonem redigitur seu potius nigrum quendam colorem sibi induci patitur. Quo posito porro ratiocinati sunt, causam quandam huic combustioni efficientem necessario debere subesse: quænam illa? Quæ in cælo existunt corpora, necessario ad hunc effectum debent concurrere; corpora autem illa cœlestia sunt ignæ naturæ, certe itaque corpora ista tali facultate prædita hanc combustionem causerunt. Hinc jam isti, qui è schola Pythagoræ fuisse perhibentur, in bivium abiire. Quidam ergo commenti sunt, solem aliquando hanc viam lacteam tanquam iter ordinarium trivisse, at postea se convertisse ad Zodiacum ob Thyestis horrendum facinus & monumentum aliquod viæ pristinæ reliquisse. Quidam vero docuerunt, causam combustionis in cælo factæ fuisse unum quoddam ex

astris illis de cælo decidentibus, tempore illius indocti & audacis aurigæ Phaëtonis, qui equos & currum parentis per unum diem regere conabatur.

§. 2. Versibus eleganter laudatus *MANILIUS* complexus est istorum Philosophorum sententias; lubet eosdem subungere.

*An melius manet illa fides per secula prisca
Illac Solis equos diversis curribus isse.
Atq; aliam trivisse viam, longumq; per ævum
Exustas sedes, incoëtaque sidera flammis,
Ceruleam verso speciem mutasse colore,
Infusumq; loco cinerem, mundumq; sepultum.*

Isdem Pythagoreis calculū suum adjecit *METRODORUS* (floruit circa Olympiadē 105, seu ante Christum 360 teste *DIOGENE LAERTIO*) Philosophus & Astronomus insignis Anaxarchi Præceptor, si conjecturis locus detur forsitan in libris suis de ratione Zonarum, qui hanc viam fuisse olim semitam Solis retinentem pristini ardoris vestigia populo persuadere conatus est. Videatur *PLUTARCHVS* de placitis Philosophorum l. l.

Pergit *MANILIUS*:

*Fama etiam antiquis ad nos descendit ab annis
Phaëntem patrio curru per signa volantem,
Dum nova miratur propius spectacula mundi,
Et puer in cælo ludit, curruq; superbus
Luxuriat, mundo cupit & majora parente,
Monstratas liquisse vias, orbemq; rigentem
Imposuisse polo nec signa insueta tulisse
Errantes nutu flammæ, currumq; solutum
Deflexum solito cursu, curvisq; quadrigis
Quod querimur, flammæ totum sevisse per orbem
Terrarumq; rogam cunctas arsisse per urbes:
Cum vaga dispersi fluitarunt lumina currus,
Et cælum exustum est. Luit ipse incendia mundus*

Et nova vicinis flagnarunt sidera flammis,

Nunc quoque prateriti faciem servantia casus.

Plutarchus loco laudato eorum nugas his verbis recenset :

Τῶν πυθαγορείων οἱ μὲν ἔφασαν, ἀπὸ τοῦ εἶναι ἀφ' ἑκαυσίν ἐκπεσόν-
τῳ μὲν ἀπὸ τῆς ἰδίας ἑδρας, δι' ἧς δὲ ἐπέδραμε χρείου κυκλοτερώς
αὐτὸ κατὰφλέξαντῳ ὅτι τῷ χτ'ι φαέθοντα ἐμπρησμός. Οἱ δὲ τὸν ἡ-
λιακὸν αὐτὴν φάσι καὶ ἀρχαίς γερονέαι δρόμον.

§. 3. Primam sententiam tanquam fabulosam Philoso-
phum silentio praterire interpretes OLYMPIODORVS &
JOH. PHILOPONVS putant. Hinc Aristotelem dicunt
non referre germanam Pythagoreorum mentem, sed longe
aliud quid hic latere: confugiunt ergo ad allegoricam fabulae
istius explicationem. OLYMPIODORVM ipsum loquentem
audiemus: sic autem ille: Φαέθων φησὶν ὁ ἀπὸ ἡλίου καὶ κλυμύνης
ἦντισε τὸν ἴδιον πατέρα ὡς αὐτοῦ αὐτῷ τὸ ἄρμα, ἐφ' ᾧ ἠνιοχέται·
ἐπεὶ ὁδὸν ἔδωκεν, ἔλαβεν, ἀτέχνως ἤλασεν, ἐλάσας κατέφλεξε, καὶ ὁ τό-
πος ἐκεῖνός ἐστιν ὁ κατὰφλεχθεὶς ἐστὶν ὁ γαλαξίας. Αλλ' ἐπειδὴ μὲν ὁδὸν
τὸ λεγόμενον, ἀποπὸν δὲ μυθώδῃ ταῦτα νομίζουσιν, πυθαγορεὺς τῆς δόξης
καθεστηκυίας, φέρει ταύτην ἀλληγορῆσαι οὕτως. Ο Φαέθων, κομήτης·
Πᾶς δὲ ἡλίου ἐπωνομάσθην ἀπὸ ἡλίου, ὡς περ πανάγαθον ἀπὸ τοῦ θεοῦ.
Οὗτος ἦντισε τὸν ἥλιον ἠνιοχῆσαι, ἀντὶ τοῦ ἠφίετο τῆς κινήσεως καὶ ἡ-
λίου κύκλῳ γινομένης· διὸ καὶ αὐτὸς κύκλῳ ἐκινήθη τῷ ὑπεκκαυμάτῳ
ὡς φύσιν τῷ παντὶ συγκινήθηντῳ. Κινηθεὶς δὲ κατέφλεξεν, ἀντὶ
τοῦ αὐχμῶν αἵτις ἐγένετο. Τοῦτο γὰρ καὶ ὁ κομήτης· τοῦτον φησὶν
ὁ Ζεὺς ὀργισθεὶς ἐκεραυνῶσαι, δι' ἣν αἰτίαν ὡς τοῦ αἵθερος ἀρχὸν χτ'ι τοῦ
εἰρημῶν

Ζεὺς δ' ἔλαχ' ὄρεαν ἑνὶ εὐρύν ἐν αἵθερι καὶ νεφέλῃσιν

Ἐκεραυνῶσε δὲ αὐτόν, αἰτὶ τοῦ ὡς αὐτοῦ τῆς ἀτμίδος κατέσβεσε· διὸ καὶ
ἐν τῷ ἡεῖδανῳ τοῦτον λέγουσι πέπλωκεναι, τοῦτο δὲ αὐτοῦ τῆς ὑρότης
καταβαπτισθῆναι· ὁ δὲ αὐτὸν φασὶ τὰς ἡλιάδας ἀντὶ τοῦ τῆν ἀτ-
μίδα ἐξ αὐτῶν κατὰρρεῖν ὑδατῶν ἔσσαν, οἷα καὶ τὰ δάκρυα. Εἰς αἰγύρας δὲ
λέγουσι ταύτας μεταβληθῆναι, διότι ἀπὸ τῶν αἰγείρων ὅπως καταρρεῖ
ὅμοιόν τῳ ἡλεκτρω, τὸ δὲ ἡλεκτρον χρυσοφανές· ὁ δὲ χρυσοὺς ἡλίου ἀνά-
κειται. Τὴν δὲ ἀτμίδα ὡς τῷ ἡλίῳ συμπράξασαν αὐτῷ ἀντιθεασιν.

Et tribus interjectis: Ταύτας ὡς μυθῶδες ὡς σιωπᾶ ὁ Αἰετοτέ-

λης ἔλεγχον. Item: Τὴν πρώτην ~~ὡς~~ λέλειπε ~~αὐτὸ~~ τὸ μὲν ~~ἔστι~~.
Quibus consentiunt illa PHILOPONI: Πρὸς τὴν ~~πρῶτην~~ μυ-
θολογίαν Αεισώτης ὅδ' ἀνέειπεν Ἀξιοῖ.

§. 4. Verum enim verò, quod pace istorum virorum di-
ctum volumus, utramq; Pythagoreorum sententiam Philoso-
phus noster refutavit; ipsius enim argumentatio utrosque
ferit. Argumentatur scilicet hunc in modum. Si viæ lacteæ
causa est combustio (sive illa facta sit ab astro aliquo sive à So-
le) illius cæli tractus, necessario etiam illa cæli pars, in qua
fingitur Zodiacus, tot seculorum decursu combusta erit &
per consequens lactea apparebit. Etenim si unum aliquod
astrum aut Sol posset talem effectum post se relinquere, certe
Zodiacus, in quo non una stella tantum sed & omnes planetæ
gradiuntur, talem, qualis est viæ lacteæ, formam assumeret
necesse est. Jam verò Zodiaci forma non est eadem cum viæ
Lacteæ, quam totam non videmus, Zodiacum verò totum
possumus contemplari; singulis enim noctibus medietatem
ejus videmus, quod ita demonstramus. Sit A globus terræ,
quæ est respectu cæli instar puncti BCDE cælum, EC Horizon
Mathematicus transiens per centrum terræ, FG Horizon
Physicus, qui stringit superficiem terraquei globi. Dico, illam
partem cæli, quæ intercepta est à mathematico & physico Ho-
rizonte, esse insensibilem propter insensibilem magnitudi-
nem semidiametri terræ, per quam distant inter se illa plana,
ad magnitudinem cæli; cum ergo Horizon mathematicus
cælum dividat in duas æquales partes, erit supra Horizontem
mathematicum media pars Zodiaci cumque terra,
sit instar puncti respectu cæli, supra Horizontem Physi-
cum quoque erit media pars zodiaci. Quod erat demon-
strandum. Quo evictò totum zodiacum facile possumus con-
templari & ad oculum (ut loquuntur) demonstrare, nondum
ex motu Solis continuo & reliquorum Planetarum zodia-
cum exustum aut ea qua via lactea gaudet albedine, tinctum
esse. Quapropter nec motus astri cujusdam violentus, nec
motus

motus continuus, etiamsi fuerit, (quod tamen falsum) talem albedinem parti illi cæli nomine Lactis insignitiæ inducere potuit.

CAPVT III.

THEOPHRASTI fabulam refert.

§. 1.

MACROBIVS de hoc THEOPHRASTO ita: THEOPHRASTVS lacteum dixit esse compagem, qua de duobus hæmisphæriis cæli sphæra solidata est. Et ideo ubi oræ utrinque convenerant, notabilem claritatem videri. MANILIVS hanc ita refert :

*An coeat mundus duplicisque extrema cavernæ
Convenient, calique oras & sidera jungant,
Perque ipsos fiat nexus manifesta cicatrix,
Fissuram faciens mundi, stipatus & orbis
Aeriam in nebulam clara compagine versus
In cuneos alti cogat fundamina cali.*

§. 2. Hæc scilicet est eorum sententia, qui dicebant, τὸν γαλαξίαν ἐκ συµβολῆς τῶν δύο ἡμισφαίρων συνεστηκέναι: cui subscripserunt & illi, de quibus MANILIVS canit :

*Num se diductis conetur solvere moles
Segminibus, raraque labent compagine rimæ
Admittant que novum laxato tegmine lumen.
Quid? quasi non timeant magni cum vulnera cali
Conspiciant, feriant que oculos injuria mundi.*

§. 3. Quis autem fuerit THEOPHRASTVS, cui hoc commentum tribuitur à MACROBIO frustra forsân quæsi veris. Certè de THEOPHRASTO ERESIO, (qui floruit sub PTOLOMÆO LAGI & cognomine SOTER it. PTOLOMÆVS I. dictus) ARISTOTELIS OLYMP. II 4 (ut JOHAN. JONSIUS de scriptoribus historia philosophica I. 14. p. 74) defuncti in schola Atheniensi successore id non possumus affirmare. Etenim iam brevi temporis spatio discipulum à Præ-

ceptoris sui placitis ad vana illa somnia transiisse, quis affirmaret? Si THEOPHRASTVS PARACELSVS impostor ille & fanaticus (de quo legi meretur DAN. SENNERTI *liber de Chymicorum cum Aristotelicis & Galenicis consensu ac dissensu cap. 4. & 5 pag. 58. & seqq.*) à diabolo superioribus seculis in lucem fuisset editus, posset quis conjicere, eundem cum aliis portentis hanc fabulam in lucem protrusisse. Admiramur autem MACROBIUM, ALBERTUM MAGNUM & STOEFLERUM, quod hanc fabulam & figmentum inter ea, quæ ad naturam viæ lacteæ visa sunt, pertinere, maluerint referre. Nos scimus DEVM O. M. hujus universi creatorem esse Ens perfectissimum, à quo quicquid proficiscitur, est perfectum, cumque non opus habere gypso aut alio ferramine, quo nostri artifices opera sua conglutinant, ad combinandas & conjugendas partes integrantes corporis cujusdam.

CAPVT IV.

De Lacte Junonis mythologica.

§. I.

Lacteam viam à lacte denominari omnes consentiunt, at in designanda ratione denominationis nimium quantum discrepant: qui veritati litant, norunt illam lacteam dici ratione coloris lactis, ad quem proxime videtur accedere. Hinc ARATVS:

Κεῖνο δὲ γλινὲς τροχὰ λὸν γάλα μιν καμέουσι
 Τῷ δὴ τοι χροῖν μὲν ἀλίγκι

Quod FESTVS AVIENVS ita reddit:

*Sidera candentis speciem super inspice lactis
 Protendi calo: color olli nomen ab ortu*

CICERO: *Vidisti magnum candentem serpere Circum
 Lacteus hic nimio fulgens candore notatur*

OVIDIVS: *Est via sublimis calo manifesta sereno.
 Lactea nomen habet candore notabilis ipso.*

§. 2. Qui verò fabulas amplectuntur, magno conatu magnas nugas agunt. Refert HYGINUS Eratosthenem dixisse, Mercurio Infanti Junonem insciam dedisse lac; sed posteaquam resciverit eum à suo marito & Maia genitum, Mercurium à se projecisse & hanc ansa lac profudisse, deinde hujus profusi lactis splendorem in cælo apparuisse. Hinc MANILIUS:

*Nec mihi celanda est fama vulgata vetustas
Mollior. è niveo lactis fluxisse liquorem
Pectore Regina Divum, calumq; colore
Infecisse suo. Quapropter lacteus orbis
Dicitur & nomen causa descendit ab ipsa.*

NATALIS COMES hoc de Hercule refert. Scilicet Palladem suasu Jovis ad Junonis dormientis ubera Herculem adnovisse, quo immortalitatem consequeretur (ad quam fabulam ex mente Natalis alludere videtur Lycophron in obscuro illo de Cassandra poemate p. 90 hoc versu:

Μύτη τροπαίᾳς μακρὸν ἐν ἡλὸν ἦεας.)

At Junonem experrectam Herculem projecisse & lac profudisse, cujus pars quædam deciderit in cælum, quædam in terram: illam in cælo formasse viam lacteam, hanc verò lilia, cum antea gauderent colore croceo, candore suo tinxisse, ride si lubet CÆLII RHODIGINI *antiquarum lectionum librum VI.7. p. 278.* Alii autem dicunt Herculem propter nimiam ariditatem lactis multitudinem appetisse neque in ore continere potuisse: quod ergo ex ore ejus profusum, circum lacteum signasse.

§. 3. Quibus demum tertia illa de lacte Opis subjungenda est fabula. Cum aliquando Ops Saturno lapidem pro partu tulisset (ex metu forsan, ne Saturnus eundem, ut ceteros levoraret) jussisse Saturnum ei lac præbere: quæ cum pressisset mammillas lac profusum circulum illum deformasse hæc HYGINUS.

CAPVT V.

Alia mythologica de via referr.

§. 1.

UT omittamus mythica illa de stramine & fasciculo aristarum Isis fugientis, quem Typhonem sibi obiectum in cælo dispersisse fingunt, unde & nomen viæ straminis via lactea traxit, duo illustriora retulisse nos non pænitebit. Superioribus seculis cum regiones Germaniæ adhuc adimpleta essent superstitionibus & traditionibus mere humanis, si quando notoriè (ut loquuntur) cum primis Laicus aut etiam Clericus peccasset, pro peccato illo satisfacere tenebatur. Hinc aut mulctam aut pœnam dare cogebantur; imposuerunt ergo iter aliquod vel Romanum vel Compostellæ suscipiendum: quod ut persuaderent fanatici illi, dicebant imperito vulgo, hanc semitam ita tutam esse, ut imago ejus in cælo appareret, & hac semita DEVM ostendere, quam accepta sibi esset ista peregrinatio, in primis Compostellana. Est autem Compostella Galliciæ civitas, in qua Jacobi Apostoli ossa asservari dicuntur. Quod commentum adeo invaluit, ut via lactea vocata fuerit via Roma & via etiam Jacobi, die Jacobs Strasse / quasi ad Jacobum vel Romam duceret. Videatur ÆGIDIUS STRAUCHIUS & MARCUS FRYTSCHIUS.

§. 2. Altera sunt ex fonte doctrinæ Platoniciæ hausta de semita Deorum & animarum non quidem omnium sed tantum heroum sive bonorum; improborum enim circa terram volvuntur. Faciunt huc verba SCIPIONIS in *Somnio* ejusdem à CICERONE in libro VI. de *Republ.* descripto: *ea vita* (in qua justitiam & pietatem colimus) *via est in cælum & in hunc* (quæ duo verba si auferas, sensus erit non adeo intricatus) *cælum eorum qui jam vixerunt & corpore laxati illum incolunt locum, quem vides. Erat autem is splendidissimo*

candore inter flammās elucens circulus, quem vos, ut à Graiis accepistis, orbem lacteum nuncupatis. OVIDIUS hanc fabulam clarius expressit versibus sequentibus:

*Hac iter est superis ad magni tecta Tonantis
Regalemq; domum dextra, lavaq; Deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.
Plebs habitat diversa locis: à fronte potentes
Calicola, clariq; suos posuere penates.
Hic locus est, quem si verbis audacia detur
Haud timeam magni dixisse palatia cali.*

Fusius hanc fabulam persequitur sæpius laudatus MANILI-
VS quando inquit:

*An fortes anima dignataq; nomina calo
Corporibus resoluta suis terraq; remissa
Huc migrant ex orbe, suumq; habitantia cælum
Aethereos vivunt annos mundoq; fruuntur?
Atque hic Aeacidæ, hic & veneramur Atridas &c.
Alius ætherei, quæ candet circulus orbis
Illa Deum sedes: hæc illis proxima, Divum
Qui virtute sua similes vestigia tangunt.*

§. 3. Plurima autem de hac fabulantur, nempe zodiacum ubi lacteus circulus obliquæ circumfluxionis occurſu ambiendo amplectitur & quæ duo signa tropica Capricornus & Cancer feruntur, ibidem duas esse portas Per has portas, ut refert MACROBIUS anima de calo in terras & de terris in cælum remeare creduntur. Ides hominum una, altera Deorum vocatur. Hominum Cancer, quia per hunc in inferiora descensus est: Capricornus Deorum, quia per illum anima in propria immortalitatis sedem & Deorum numerum revertuntur. Dein refert, cur Pythagoras primam lactis alimoniam nascentibus offerri putaverit, quia primus ejus motus à Lacteo incipit in corpora terrena labentibus. Vnde & Scipioni de animis beatorum ostenso lacteo circulo dictum est: hinc profecti, huc revertuntur. Ergo descen-

fura, cum adhuc in Cancro sunt, quoniam illic posita nec dum lacteum reliquerunt, adhuc sunt in numero Deorum. Cum vero ad Leonem labendo pervenerint, illic conditionis futura auspiciantur exordium, & quia in Leone sunt rudimenta nascendi & quaedam humana natura tyrocinia. --- Illinc ergo id est à confinio, quo se Zodiacus lacteusq; contingunt, anima descendens à tereti, quæ sola forma divina est, in conum defluendo producitur sicut à puncto nascitur linea & in longum ex individuo procedit &c. Consultatur JAC. MAZZONUS in defensione Dantis III. 42.

§. 4. Hæc recenset MACROBIUS; an verò sub hisce tanquam involucris divinius quid latitet, & an hæ fabulæ sint hieroglyphicis accensendæ, judicent Oedipi illi, qui in istis rebus tempus terere allaborant. Hoc scimus, quod lacteus ille circulus, è quo Scipio animas nostras prodire credebat, hæc à re nomen juxta quosdam traxerit. Sic enim PORPHYRIUS lib. de Nympharum antro. *Δῆμι δὲ ὀνείρων καὶ Πυθαγόραν αἱ ψυχὰς, αἷς συνάγουσιν φασιν εἰς τὸν γαλαξίαν τὸν ἑταυροειδέμενον ὑπὸ τῶν γαλακτιπρεφομένων, ὅταν εἰς γένεσιν πέσωσιν.* Videantur apud JOH. MEYRSIUM in spicilegio ad Theocriti Idyll. 25. p. 138.

§. 5. Ovidianam fabulam STOEFLERVS per allegoriam utcunq; enucleare conatur; verum longe aliud est verba authoris cujusdam trahere in hunc vel illum sensum & hoc vel illud verbis hisce authores expressisse demonstrare. Audiemus ipsum: In hujus sane fabulæ carminibus poeta Jo-
vi multa ingeniose tribuit, quæ nos Deo O. M. concedimus. Jovem enim patrem dominumq; Deorum, regem cæli sedentem in throno eburneo esse voluerunt veteres, quem nos Deum O. M. regem regum, & dominum dominantium esse confitemur, cui cælum ipso attestante thronus est. *Esaiæ LXVI. Apoc. XXI.* Ad quem via est sublimis, ardua & difficilis &c. Viam ad æternam beatitudinem rectissime theologi innocentiam testimonio regii prophetæ
(com-

(communem hic errat errorem, cum Davidem vocat regium prophetam, rectius Regis & Prophetæ) posuere Psal. XXIII. ,, & XIV. Plura adducere nil attinet, singula suam merentur limam. Neque omnibus mythologicis mysteria aut arcana quædam non aspernanda teguntur, plurima sunt simpliciter falsa & merè aniles fabulæ. Ne nunc dicamus quàm sinistre S. Scripturæ dicta huc trahant, hoc juvat adiecisse, nil nisi helleboro istos indigere, nec pietatem sed superstitionem in illis regnare. Pauca adhuc indicio eorum quibus est acetum in pectore submittimus: *Virtutes, quæ arma lucis à Paulo ad Rom. an. XIII. vocantur, intellectum elevant in splendorem lucis æternæ. Virtuoso enim omnia in luce clarescunt Ovidij testimonio. Vbinam exstat? Pergit:*

Lactea nomen habet, candore notabilis ipso

Hac iter est superis ad magni tecta Tonantis.

Et rectè. Nihil siquidem coinquinatum intrabit in regnum celorum Apoc. XXI. Ambulant enim albis stolis amicti. Ita illi homines, qui semel hanc sententiam amplexi sunt, amant quid pro quo (ut loquimur) effundere, nec dispicere quomodo singula cohæreant.

§. 6. Agmen fabularum tandem illa claudat, qua nugatur esse viam, in qua Apollo contra Gigantes pugnaverit; ut ZANARDVS refert. FRYTSCHIVS paulo aliter hunc in modum: PONTANVS fabulose etiam loquitur de hoc tractu, cum fingit Iovem victis Gigantibus signasse eum locum & tanquam monumentum ejus victoriæ constituisse, ad duo mundi latera, cum beneficio Solis accepto iterum lumine & abactis vaporibus, quos terra ad offundendam caliginem Iovi & aliis Diis adeoque ad impediendos eos & juvandos Gigantes filios suos emiserat, illam victoriæ consecutus esset.

CAPVT VI.

Posidonii & Diodori

opinio.

§. 1.

MIssis ergo fabulis ad Philosophos redimus, quos inter *POSIDONIUS*, cuius definitioni (viæ lacteæ) plurimum consensus accessit, teste *MACROBIO*. Dixit autem lacteum circulum caloris esse syderei infusionem: quam ideò aduersa Zodiaco curvitas obliquauit, ut quoniam Sol nunquam Zodiaci excedendo terminos expertem fervoris sui partem cali reliquam deferbat, hic circus à via Solis in obliquum recedens, universitatem flexu calido temperaret. *PLUTARCHVS* refert *POSIDONIUM* voluisse viam lacteam esse πυρὸς σύστασιν, ἀσπρὰ μὲν λαμπρότερον, αὐγῆς δὲ πυκνότερον, hoc est ignis concretum sive structuram, astro clariorem, luce vero densiorem.

§. 2. Eadem ferme est sententia *DIODORI*, si rem ipsam spectare velimus; refert enim *MACROBIUS* eum statuisse viam lacteam esse ignem densatæ concretæque naturæ in u-
,, nam curvi limitis semitam discretionem mundanæ fabricæ
,, coacervante concretum: & ideo visum intuentis admitte-
,, re reliquo igne cælesti lucem suam nimia subtilitate diffu-
,, sam non subiciente conspectui.

§. 3. Hæ sententiæ innituntur falsæ huic hypothese: cælum esse igneæ naturæ: quam, cum *ARISTOTELES* lib. i. de cælo & Commentatores ejusdem dudum exploserint, illorum sententia huic innixa hypothese per se ipsa concidit. At esto: sit igneæ naturæ orbis lacteus, necessario ergo juxta *POSIDONIUM* mentem solis vicem sustineret in locis polis vicini-
,, oribus & ea calore suo temperaret, ne nimium frigus expe-
,, rirentur incolæ istorum locorum. Experientia autem edo-
,, cet, quàm intensum frigus eos qui hâc habitant, sole receden-

te in-

te invadat. Quapropter ficulneo nititur fundamento; quin si vera hæc Posidonii sententia, quantum æstum sustineremus sole in via lactea commorante? Rectè ergo Conimbricenses; Hæc sententia à vero abest: primum quia non potest reddere causam splendidissimi illius candoris, quem constat diversum quidpiam esse à calore. Secundo, quia rigor qui ad utrumq; polum sentitur, satis indicat non dari temperationem illam, cujus gratia ejusmodi ardor cælo sparsus fingitur. Deinde quia calor, cum sit qualitas elementaria, solis corporibus interitum subeuntibus conveniens neutiquam in cælesti mundo locum habet.

§. 4. Quibus duas adhuc sententias Philosophorum addimus ex Plutarcho, Parmenidis & Anaxagoræ. Is putavit τὸ τῆς πυκνῆς καὶ ἀραιῆς γαλακτοειδὲς ἀποτελέσαι χρώμα denso ac rari mixtione lacteum colorem confici, ut vertit Xylander. Quale autem densum ac rarum intelligat Parmenides, frustra quæras apud alios; quapropter non est opus, ut in hanc refutandam operam impendamus. Cujus farinæ etiam est illa quam PLUTARCHVS Anaxagoræ tribuit: τὴν σκιάν τῆς γῆς καὶ τὸ τοῦ μέγθ' ἵστασθαι τῆς ἑρμῆς, ὅταν ᾖ πρὸς τὴν γῆν ὁ ἥλιος γινόμενός τε μὴ πάντα φωτίζει. Scilicet umbra terræ in ea parte cæli potest consistere, quam nunquam attingit, ne dicamus quam absurdum sit dicere umbram esse candidam.

CAPVT VII.

Hippocratis Chii sententia,

§. I.

ARISTOTELES his verbis exprimit illam sententiam: λέγουσι πρὸς ἀτάκτασιν εἶναι τὸ γάλα τῆς ἡμετέρας ὀφθαλμοῦ πρὸς τὸν ἥλιον: Ubi quidem authorem illius sententiæ non exprimit, quem tamen OLYMPIODORVS comm. ad h. l. no-

bis suggerit: τετάρτη δόξα Ἰπποκράτης τῷ χίῳ οὗτος φησι τὴν
 γαλαξίαν γίνεσθαι ἀνακλάσεως γενομένης πρὸς τὸν ἥλιον, ἀλλ' οὐκ
 ἀνακλάσεως ἀπὸ ἀτμίδου, καθάπερ ἔφαμεν ὅτι τῷ κομήτῃ, ἀλλ'
 ἀπὸ ἀστέρων φέρεται οὖν φησιν ἡ ὁψις πρὸς τὰς ἀτέρας καὶ ἐκείθεν
 ἀνακλάται πρὸς τὸν ἥλιον, καὶ οὕτως φέρεται πρὸς ἡμᾶς· οὕτως ὁ
 Ἰπποκράτης. Nec PLUTARCHVS nomen authoris adjicit:
 λέγει (inquit) κατοπτρικὴν εἶναι φαινομένην, τοῦ ἡλίου τὰς ἀυγὰς
 πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀνακλῶντος· ὅπερ καὶ ὅτι τῆς ἰσίδου καὶ ὅτι τῶν
 νεφῶν συμβαίνει. Hanc sententiam quam OLYMPIODORVS
 Hippocrati Chio tribuit, DIOGENES LAERTIVS lib. 2.
 pag.94. adscribit Anaxagoræ, his verbis: ἔλεγε Αναξαγόρας
 γαλαξίαν εἶναι ἀνάκλασιν φωτὸς ἡλιακοῦ μὴ καταλαμπομένων τῶν
 ἀστέρων. Cui opinionioni calculum suum addere videtur SVI-
 DAS p.588. Γαλαξίας το' ἐν οὐρανῷ φῶς· ὅπερ ὅτιν ἀντανάκλα-
 σις φωτὸς ἡλιακοῦ μὴ καταλαμπομένων τῶν ἀστέρων.

§. 2. Prius verò quàm ad examen hujus sententiæ acce-
 dimus, non abs re fore existimamus, si quædam ad ejus ube-
 riorem explicationem plurimum facientia præmittamus. Pri-
 mū ergo sit de genuino sensu verbis Aristotelis contento sen-
 tentiæ laudatæ: poteramus hoc labore carere, ni Aristotelem
 iniquè sugillasset CABEVS inquiens: *non acquiesco dictis*
Aristotelis; solet enim, ut verum fatear Aristoteles SEMPER
dicta Antiquorum interpretari in pejorem sensum, ut commodius
ac facilius impugnet. Quibus Cabeii verbis nulla desunt nisi
 hæc tria: QVOD ERAT DEMONSTRANDVM. Nihil
 quidem magis usu venit, quàm ut scripta authorum, quæ alii
 refutare conantur, iidem illi antagonistiæ affectu nescio quo
 impediti aut limis oculis inspiciant, aut plane non relegant,
 aut si probe legerint sinistre tamen interpretentur: cujus rei
 vel inter eruditos hoc nostro ævo non pauci specimen de-
 derunt. At Aristotelem SEMPER hac lyra oberrasse, quis
 Cabeum si excipias, affirmat; Nuda hæc Cabeii assertio tan-
 tum valet, quantum alterius negatio. Philosophum, quod ad
 hanc

hanc materiam pertinet, absolvent PLVTARCHVS, SVI-
DAS, OLYMPIODORVS, nisi CABEVVS ejusdem criminis
hos reos postulet aut præsumat. Ansam dedit Cabeo hæc
quæstio: *utrum Authores hujus opinionis voluerint, hoc corpus
reflectens lumen solis esse in regione elementari, an in regione cæ-
lesti.* Si laudatos Viros consuluisset CABEVVS & perpendis-
set ne opus quidem fuisset ulla dubitatione, simpliciter affir-
masset, authores illos voluisse corpus reflectens lumen solis
esse in regione cælesti. *At si hac vice mentem illorum sic inter-
pretetur Aristoteles, non impugnabit sed propugnabit; nam re-
vera apparentia illa lactis & albedo illa est reflexio luminis Solis
ad nostrum oculum, quia est lux stellarum ibi degentium, quæ sic
nobis apparet. Sicut ergo splendor & lux omnium stellarum, non
est nisi reflexio luminis Solis ad nostrum oculum, quia ex se stella
lucem non habent, licet non propriissime sit reflexio; ita & albedo
illa eadem proprietate est tenuis & confusa reflexio luminis Solis,
facta à parvis stellis ibi degentibus.* Ita CABEVVS: quæ singula
falsa huic hypothese, omnes stellas lumen recipere à Sole, in-
nituntur. At stellas fixas non mutuatio seu (ut rectius lo-
quar) alieno lumine lucere, sed proprio à DEO in creatione
insito lumine gaudere neminem nisi quem latent erudita Ke-
pleri, Galilæi, Renati Cartesii, Antonii Mariæ de Rheita, Joh.
Baptiste Riccioli, & Petri Gassendi scripta, negaturum confido;
præsertim cum sciamus Solem ita à fixis distare, ut insufficiens
sit ad eas illustrandas aut refractione radiorum alias gignen-
das. Alia incommoda & absurda ex Cabei verbis propullu-
lantia hæc vice silentio involvimus.

§. 3. Deinde observandum, Aristotelem loqui juxta mo-
rem antiquorum Opticorum, qui videntur voluisse, ab oculo
exire radios, qui ad objectum visibile vel directè, vel reflexe
vel refracte ferantur; dicit enim γὰρ αὐτὸν εἶναι τὸ ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ
visus hoc est radii visualis, quo nos videmus, progredientis à
nostro oculo ad corpus speculari & inde reflecti; Quasi fiat
visio

visio effluvio seu emissione radiorum visivorum sive luminis
sive utriusque ad ipsa visibilia. Rectius docent recentiores
Optici visionem fieri specie visibili extrinsecus in oculū rece-
pta sive per intramissionem radiorum intra oculum; demon-
strant hoc plurimi quos inter **AMBROSIVS RHODIVS**
Opticorum I.7. propos. 42. p. 148. **CASPAR SCHOTTVS**
Cursus mathem. XLX.3. p. 468.

§. 4. Demum notamus multos confundere refractionem cum reflexione, cum tamen, si accuratè loqui velis sint probe distinguendæ. Reflexio enim est radiorum in opacum corpus appulsu facto repercussio. Refractio vero est radii directi propagatio inflexa facta in communi superficie duorum diaphanorum diversæ densitatis, definiente Ricciolo Sic Refractio stellarum est cum radius visorius ex subtiliori aera ætherea per crassiorem aerem ad visum nostrum transiens in puncto incidentiæ quo superficiem aeris attingit, deorsum frangitur & ad angulum rectilineum incurvatur. Differt ergo refractio à Reflexione quod directam radii visorii propagationem impediat in refractione diversitas diaphani in reflexione verò opacitas. Plura diversitatis hujus fundamenta suppeditat **RICCIOLVS & ATH. KIRCHERVS** artis magnæ lucis & umbræ VIII.1. p. 652.

§. 5. Duas autem Philosophus affert rationes, quibus hanc opinionem subvertere conatur, quarum altera scopum ferit. Scilicet viam lacteam non esse reflexionem luminis solaris demonstrat hoc modo: Quicquid est reflexio radiorum Solis, illud neutiquam semper in una eademque cæli parte apparebit, sed potius situm suum mutabit ad motum Solis tanquam sui principii. Jam vero observationes quotidianæ nos edocent, Galaxiam non instituire suum motum ad nutum Solis. Non ergo erit repercussio radiorum solarium. Altera, cum nitatur falsa hypothese, scopum non attingit, quicquid dicat **VICOMERCATUS**, supponit enim reflexionis

xionis non dari reflexionem, cum experimenta testentur, posse imaginem unius rei reflexam ab uno speculo reflecti ad alterum, imò ex illo ad tertium, quartum, licet in posterioribus imagines appareant debiliores & si specula nimium multiplicentur, propter debilitatem radiorum tandem evanescant.

CAPVT VIII.

Aristotelis Sententia.

§. 1.

ARISTOTELES loco sæpiùs laudato quam opinionem foverit unicuique inspicienti & perpendenti textum constare poterit, nisi nimio in Aristotelem amore exarferit. Singula ipsius verba adducere, chartæ angustia non concedit; proinde bona fide ipsius sententiam referemus. Docet ARISTOTELES in illa coeli parte, quæ tegit viam lacteam, esse stellas quamplurimas numero & magnitudine inter se diversas, quæ, cum lumine & motu suo attrahant ad se ex terra exhalationes, constituent viam lacteam, non aliter ac unum aliquod astrum causa sit cometæ. Hanc Philosophi mentem esse omnes fere consentiunt.

§. 2. Nonnulli contendunt, textum hîc esse corruptum: verum hos convincit Interpretum Græcorum pariter ac Latinorum plurimorum consensus & ipse PLUTARCHUS Αἰστωτέλης (ἐλεγεν) ἀναθυμιάσεως ξηρᾶς ἕξασιν πολλῆς καὶ συνεχῆς καὶ ὅτι κόμην πυρὸς ὑπὸ τὸν αἰθέρα, κατευτέρῳ τῶν πλανητῶν. XYLANDER vertit: *incendium vaporis sicci multiq; & continui: itaque crinitum etiam ignem fieri infra ætherem sub planetis.* Nonnulli volunt, Philosophum non accuratè, sed tantum probabiliter de via lactea disputare. Probare id conantur ex textu, quando inquit: εὐλογον γὰρ εἶπερ ἡ ἐνὸς ἀστροῦ κίνησις καὶ τὸν τῶν ἀπαντων ποιεῖν ἢ τοῖσιν καὶ ἐκκεῖν. Ad quæ verba sic OLYMPIODORUS: ὅρα πῶς καὶ αὐτὸς ὁ Αἰστωτέλης ἐνδοι-
E
είλει.

αἴζει. οὐ γὰρ εἶπον ἀναγκάον, ἀλλὰ μᾶλλον εὐλογον. Οὐ δοκεῖ γὰρ αὐτῷ ἀληθὴ εἶναι τὰ περὶ τῆς γαλαξίας νῦν λεγόμενα. Respond-
debunt alii hanc esse Aristotelis singularem modestiam.

§. 3. OLYMPIODORVS quatuor argumenta pro sen-
tentia Aristotelis adducit, ἐκ τῆς ἀναλλοιωτῆτος, ἐκ τῆς καθόλου, ἐκ
τῆς σελήνης, ἐκ τῶν ὑπολοίπων ἀέρων πλανωμένων; quibus ta-
men totidem ex mente Amaonii opponit. Singula recen-
sere nunc non placet: responsionis loco adducemus egregia
JOHANNIS PHILOPONI in rem præsentem verba, quæ
ita se habent: ἀτοπα πολλά τῷ λόγῳ τῆς Αριστοτέλεως περὶ τῆς
γαλαξίας καὶ ἀδυνατᾶ συμβαίνει καὶ ἀπακλήρωσιν ἔχοντα μόνην. Εἰ γὰρ
ὡς ὁ κομήτης ἔτω καὶ γαλαξίας πάθος ἦν τῆς ἀέρος, πῶς ὁ αὐτὸς ὅστις
αἰεὶ καὶ αἰεὶ ὡσαύτως ἔχων, οὔτε καθόλου, οὔτε κατὰ τι τῶν αὐτῆς μερῶν
ἀλλοιότερος ποτε γινόμενος, καὶ τὸ μῆκος, οὐτὰ πλάτος αὐξήσας,
καὶ μειώσας, καὶ τὴν θέσιν, οὐτὸ σχῆμα μεταβάλλων, οὐχ ὅτι ἀναδε-
δίπλωται γινόμενος ἀπὸ λῶς ἢ ἐμπάλιν ἐν οἷς ἀπὸ λῶς ἔστι &c. Le-
gantur reliqua; petita autem sunt ipsius argumenta ex perpe-
tuitate, magnitudine & figura.

§. 4. Nos, ne nimis latè divagemur brevitati operam-
dantes, rem in pauca conferimus. Sit ergo ex mente Philo-
sophi, Via lactea nil nisi copia exhalationum sub certo cæli
tractu congregatarum & constanti figura in sede sua subsi-
stentium. Jam cum Aristotele ponamus materiam ignito-
rum in qua sive subiectum, cui inhærent & in quo generan-
tur ὑπερκάυματα esse tres aeris regiones. Argumentamur
itaque hunc in modum: Quicquid non habet parallaxin, il-
lud est in cælo, Via lactea non habet parallaxin. E. Via la-
ctea est in cælo. Majorem nemo temere negaverit, nisi quem
natura parallaxeos latuerit. Parallaxis autem nihil aliud est
quam differentia inter locum verum phænomeni cujusdam
spectabilis ex centro terræ & locum visum ex superficie terræ.
Verus autem locus (respective ad cœlum) est punctum su-
premi cæli, ad quod terminatur recta linea ex centro terræ seu
huius

hujus universi per centrum sideris usque ad supremum cælum educta. Visus locus est punctum supremi cæli, sub quo centrum sideris esse videtur. Hinc recte concludunt Mathematici: Quo minorem parallaxin phænomenon quoddam fortitur, eò remotius distat à terra. Et: Quo majorem eò magis terræ appropinquat. Hinc & nostra major sua luce radiat. Minorem observationes adhibitæ comprobarunt & instituendæ demonstrabunt. Stat ergo Conclusio. Porro: Nulla exhalatio est in cælo. Via lactea est in cælo. E. Via lactea non est exhalatio. Major ab Aristotele comprobatur, quando statuit, aerem esse sedem exhalationum. Minor est Conclusio antecedentis argumenti. Quapropter Via lactea non erit copia exhalationum, quod erat demonstrandum.

§. 5. Qui mordicus Aristotelis placita retinent, nervum hujus argumenti persentiscentes quidvis potius comminiscuntur, quam ut concedant, Aristotelem à vero hîc deviasse. Scilicet actum esse cum Aristotelis autoritate, falso sibi persuadent, si quapiam in re Philosopho calculum denegent. Faciunt nâ isti homines nimio in Philosophorum Principem amore, ut eundem plane extra sortem humanam rejiciant. Recte non minus quam eleganter scribit LACTANTIUS *instit. divin. VI. 24. p. 632. Nemo potest esse tam prudens, tam circumspexitus, ut non aliquando labatur.* Lapsus est PLUTARCHVS magnæ autoritatis vir & quo nemo æqualium plura scivit, teste VICTORIO *variarum lectionum X. 3. pag. 231. CICERO* Oratorum Phoenix, teste eodem *XIII. 8. BUDAËVS* politissimæ doctrinæ acerrimique judicii vir. *X. 18. pag. 246. Ουδεις γὰρ πάντ' ἔστι πανόλβιος*

§. 6. CREMONINVS opusculo de via lactea, ut argumentum nostrum eludat, respondet, viam lacteam habituram esse parallaxin sive diversitatem aspectus, si candor ille sit aliquid fixum & natum, quod videatur, ut quod. Si autem sit apparentia ex refractione luminis & non sit lux in vapore ipso

firmiter hærens non facere diversitatem aspectus; sed semper videbitur quocunque ex loco cum eadem habitudine ad stellam & semper stellam coronabit tanta corona. Ita refert *CABEVS*: verum cum nobis *Cremonini* scriptum videre nondum contigerit, potius *Cabeum* adducimus, cui remanent difficultates ex aliis capitibus, quibus manifeste ostenditur falsa hac sententia etiam sic explicata, ut *CREMONINVS* eam explicat. Audiemus ipsum: *Ut omittam alias difficultates, quæ tamen nec parvæ sunt nec contempribiles, ut: non posse esse æqualitatem apparentiæ ex variatione tempestatum & temporum; cur non sit aliquando latior, aliquando angustior, aliquando clarior, nonnunquam obscurior: non posse materiam perpetuam subministrari tantæ apparentiæ nisi cum universi ruina & sexcenta alia.* Prima difficultas est: quia non satisfaciunt ullo modo rationes, quæ afferuntur, cur potius sub illo cæli tractu durent perpetuo congregati vapores & nunquam sint sub alia cæli plaga. Secundo in illo cæli tractu in quo læcernitur non sunt stellæ semper, ubique ita frequentes, ut ex frequentia & vicinitate illarum candidus ille tractus ubique fulgeat ex conjunctione & contactu coronarum. Nam quamvis sint frequentes alicubi, alibi non sunt ita vicinæ. Tertio principaliter dum dicitur, vapores cogi sub illis stellis non sub aliis & ideo sub illis solum apparere læc, hoc manifestæ æquivocationis redarguitur, neque ex eo quod *CREMONINVS* excogitaverit fieri apparentiam lactis per refractionem evitare potest argumentum ex diversitate aspectus desumptum. Plura vide apud virum modum laudatum.

§. 7. *FORTVNIVS LICETVS Genuensis, Patavinus & Bononiensis Philosophus celeberrimus libro de Novis astris lib. c. 56. suppetias laturus Aristotelis doctrinæ fingit ab Aristotele duas esse cognitæ galaxias, unam cælestem, alteram elementarem. Illam consistam esse maximis & fulgidissimis stellis præterea & astris, quibus sporadum nomen inditum est.*

Hanc

Hanc vero simillimam cælesti directè in elementari regione
 suppositam & è tenuissimorum halituum flamine contex-
 tam. Cui contradixit *LIBERTVS FROMONDVS* Philoso-
 phus Lovaniensis *meteorologicorum II. cap. V. art. 2. p. 100.* ubi
 ejusdem sententiam refutat. Quod cum videret *LICETVS*
 conscripsit librum ingenuarum exercitationum de lucidis in
 sublimi, in cujus c. 4. p. 18. & seqq. satisfacere conatur argu-
 mentis Fromondi, sed ita satisfacit, ut nihilominus in ære
 Fromondi maneat. Pietas enim erga Aristotelem non con-
 cessit, ut ab Aristotele secederet. Verum quid aliud est finge-
 re duas galaxias quam statuere duas Zonas Torridas, unam
 quam statuit Aristoteles inhabitabilem, alteram quam ipsa
 experientia habitari contestatur?

CAPVT IX.

Vera Democriti sententia.

§. I.

DEMOCRITI sententiam *PLVTARCHVS* hanc tradit:
 viam lacteam scilicet esse, πολλῶν ἤ μικρῶν ἢ συνεχῶν ἀτέ-
 ρων συμφωτισομένων ἀλλήλοις συναυασμὸν ἀπὸ τῆν πύκνω-
 σιν. *XYLANDER* vertit: splendoris collectionem & densa-
 trionem à multis usque parvis & continentibus stellis collu-
 centibus profecti. *MACROBIVS*: DEMOCRITVS in-
 numeras stellas brevesque omnes, quæ spisso tractu in unum
 coactæ spatiis, quæ angustissima interjacent, opertis vicinæ si-
 bi undique & ideo passim diffusæ lucis aspergine continuum
 juncti luminis corpus ostendunt. *MANILIVS* versibus se-
 quentibus ita expressit hanc sententiam:

*An major densa stellarum turba corona
 Contextit flammæ & crasso lumine candeo
 Et fulgore nitet collato clarior orbis?*

ARISTOTELES v. eorum qui Democritum & Anaxagoram
secuti sunt, sententiam his proponit verbis: Φῶς εἶναι τὸ γάλα, ἄ-
ερων τινῶν τὸν γὰρ ἥλιον ὑπὸ τὴν γῆν φερόμενον ὃν ὁρᾶν ἐν ταῖς ἀέροισιν. Ὅσοι
μὲν οὖν ὁρᾶται ὑπὸ αὐτοῦ, τέτων μὲν ὃ φαίνεται τὸ φῶς καλύπτει γὰρ
ὑπὸ τῶν τοῦ ἡλίου ἀκτίνων, ὅσοις δ' ἀντιφράττει ἡ γῆ, ὥστε μὴ ὁρᾶται
ὑπὸ τοῦ ἡλίου, τὸ τοιούτων οἰκῆον φῶς φασὶν εἶναι τὸ γάλα. Quæ
quidem ut à Philosopho recitatur, recte rejicitur.

§. 2. Huic sententiæ Democriti, plerique Ma-
thematici subscribunt & uno ore docent: Viam lacteam esse
congeriem infinitarum stellarum parvarum, quæ distinctè ob-
ingentem distantiam ad oculum nostrum pervenire non pos-
sunt. Probatur hoc ipsum sensu; hinc GALILEVS in Nun-
cio sidereo: *in quamcunque regionem (viæ lacteæ) Perspicillum*
(Telescopium sive tubum opticum) dirigas, statim stellarum
ingens frequentia sese in conspectum profert, quarum complures
satis magnæ ac valde conspicuæ videntur sed exiguarum multitu-
do prorsus inexplorabilis est. Hæ ergo cum singulæ non distin-
guantur omnes simul lumen confundentes albedinem illam
ostendunt, sive ut Cardani verbis utar: *ex frequentibus side-*
ribus lumen miscentibus lacteus circulus ab oculo estima-
tur.

§. 3. Arbitramur itaque tibi beneficio litem de materia
Viæ lacteæ diremtam, ut non indigeat accuratiori disputatio-
ne. Experimento tantum uno atque aliquo terrestri ex Cabe-
eruditis commentariis illustrabimus. Sumantur duæ magnæ
tabulæ vel solidiores chartæ nigro inductæ colore: in altera
earum pingantur multæ, magnæ & inter se distantes albæ ma-
culæ, in altera etiam pingantur ejusdem albedinis maculæ,
sed parvæ & vicinæ. Dein ponatur utraque tabula in magna
æqualitamen distantia procul ab oculo. Illa tabula, quæ
gaudet magnis & inter se distantibus maculis, illas maculas
procul ostentabit: in ea verò, cui parvæ insunt maculæ & pa-
rum distantes non distingues fortasse singulas maculas à ni-

gro campo in illa distantia, sed totum objectum tibi videbitur unius coloris, nec totum album, nec totum nigrum, sed totum cinericum judicabis, aut pallidum plus aut minus, prout maculae frequentiores & candidiores fuerint. Ex eo enim, quod oculus in illa distantia non possit distinguere album à nigro nec poterit maculas numerare, utriusque tamen objecti radii confundentur & fiet species mixti & prout plures erunt partes albæ quam nigræ objectum visum verget magis ad album vel nigrum.

§. 4. Idem continget si cribrum album vel chartam perforatam suspendas ante parietem nigrum vel tabulam nigram vel si perforatam nocte igni prætendas; foramina enim in magna distantia non distingues, sed totum aut minus candidum aut minus luminosum apparebit. Idem prorsus accidit in Via lactea, dum enim stellæ magnæ sunt & rariores distinguuntur à partibus cæli non lucentibus; parvæ autem stellæ & valde vicinæ non distinguuntur in eadem distantia: sed tertium quoddam resultat objectum ex illis partibus lucentibus & non lucentibus & fit species quædam rei minus luminosa & candida, ut est lactis species.

§. 5. Quibus denique corollarii loco addimus tres observationes de Via lactea, animadversione dignas. Prima esto, quod omnes stellæ novæ, quæ hoc nostro & superiori sæculo in cælo apparuerunt, in Via lactea comparuerint. Anno 1572 mense penultimo Novembri apparuit Nova stella juxta Galaxiæ confinia, ubi Colurum Æquinoctiorum transit inter Cassiopeæ sydera usque in principium Veris Anni 1574, quando mense Martio conspici desuit. Videatur *TYCHO BRAHE lib. 1. de stella Nova Anno 1572. cap. 1. p. 300. 313. & p. 553.* Deinde Anno 1600 Nova stella tertiæ magnitudinis prodiit in pectore Cygni duravitque usque ad Annum 1621 si *CASPARI SCHOTTO* credimus *Curs. math. VII. part. 3. c. 2. p. 248.* Et *isago-ge Astron. in Itinerarium Kircheri §. 3. p. 46.* Sin vero *Joh. Bapt. Ric-*

Ricciolo hodieque fulget in confinio colli & pectoris Cygni. Postremo Anno 1604 die 9 Octob. affulsit primum in Serpentario flammivomum illud sidus, quod Iridis colores imitabatur, mire rutilans, magnitudine apparente adæquans Venerem in genu sinistro Ophiuchi & in limbo Galaxiæ, perstititque usque ad Annum 1606 & ejusdem Februarii initium, quo extinctum est. Perinde ac si Galaxia (sunt verba *Riccioli*) promtuarium esset, unde lucida hæc portenta DEUS in inferiora hujus mundi, cum voluerit, destinat. *CYPRIANVS LEOVITIVS* tract. de S. N. 1572 refert, se apud Historicum reperisse tempore Ottonis Primi Imperatoris Romani similem stellam in eodem fere loco conspectam. Addit quoque Anno 1264 stellam magnam & lucidam in septentrionali cælo parte ubi & hæc nostra circa ipsum Cassiopeiæ sidus apparuisse. *TYCHO*. l. 1. pag. 331.

§. 5. Secunda esto Tychonis, qui observatione quadam persuasus putat materiam stellæ novæ Anno 1572 è Via lactea profluxisse. Verba ejus hæc sunt: *Quamvis in tota celestis mundi vastitate materia pro conformatione alicujus stellæ ascitiæ meo iudicio abunde suppetat, tamen nusquam copiosius & plenius quam juxta viam lacteam; quam substantiam quandam celestem à materia reliquarum stellarum non discrepantem, sed diffusam certis que locis expansam non in unum corpus discretim, prout in stellis fit, conglobatam esse statuo; hincque factum iudico, quod Nova hæc in ipso Galaxiæ margine constituerit, idque non obscure insinuabat, eam ex eadem qua Galaxia ipsa prædita est, substantia conformatam fuisse. Quin & adhuc hiatus quidam in eo ipso Galaxiæ loco cernitur, ubi stella hæc suas sedes obtinuit: idque ad quantitatem quasi semiplena Luna, prout hibernis noctibus apprime præ serenitate defacata & frigore boreali, Aeris vapores attenuante, scintillantibus & oculis sese clare ingerentibus reliquis omnibus stellis, unaque tunc evidentius quam alias apparente Via lactea satis discrete animadvertere contueri-*
que

que nisi visus acumine destituatur cuius licebit. Calculum suum sententiæ Tychonis addit CHRISTIANVS SEVERINVS LONGOMONTANVS, quando in *Appendice Astronomia Danica de novis cæli phænomenis cap. 5. p. 8.* ita scribit: *Quocirca inter omnes convenienter mihi ratiocinari videntur, qui hunc circum noctu in cælo apparentem, materiam novis Phænomenis largiri arbitrantur.* Et pag. 11: *Quod igitur vir ille tantus inter Astronomos de materia novorum phænomenen olim censuit, idem quoque ego nunc rationibus adductis censeo, nempe cælestem illam esse & præcipue in via lactea præparatam.* Hanc opinionem Tychonis JOH. BAPTISTA RICCIOLVS *Almag: Nov. VIII. sect. 2. cap. 17. p. 176.* licet immobilitati Novæ stellæ congruentem judicet, negat tamen illam reddere rationem probabilem, cur in tanta vastitate Viæ Lactææ tam prope dispositæ ad nova sidera formanda tam raro novæ stellæ in cælo fiant.

§. 7. Tertiam, quæ erit de parte illa Viæ Lactææ circa polum Australem, proponemus verbis Riccioli: p. 476. *Illæ (pars australis Viæ Lactææ) mirifice splendescit & alicubi rutilat maculis ferrugineis deficientis Lunæ rubori similibus, constat stellulis plurimis subrusi coloris & Martem lumine imitantibus.* Hæc narrat, si Ricciolo credimus testis oculatus JOSEPHVS ACOSTA de Novo Orbe lib. 1. cap. 2. Versio vero Germanica laudati libri pag. 3. ita habet: *Wir mögen auch zu der Rede unsere Augen mit zu zeugen sehen/ nach dem wir sehen/ daß nicht allein daß Gestirn sehenlich herum gedrehet wird/ sondern sehen auch das ganze Theil des Himmels und nicht nur die so klar und glänzend sind/ welcherley ist die Via Lactea, sondern auch etliche andere/ so finster und schwarz sind/ umblauffen. Am Himmel (non dicit in Via lactea) sind gahr merckliche Flecken/ bin nicht eingedenck/ daß ich die irgend gesehen/ da ich in Europa war: dieselben bilden ab die Schwarze des Monden/ wen er leidet.* Quæ hic Josephus Acosta refert de maculis cæli, Ricciolus

radicat de Via Lactea: aut hic versio fallit aut Ricciolus. Quæ enim foret illa collectio? Sunt in coelo maculæ notabiles. E. ea erunt in Via Lactea? Hic homo gestat cultrum. E. culter ipsi est in manu dextra. Non ita.

§. 8. Quæri posset: quorsum ea stellarum congeries in orbem diffusa? Nostrum non est Conditoris stellas pro suo arbitrio disponentis beneplacitum perscrutari: forsan quempiam iuvat audire infomnia prosequentem. Diceret forte ex mente Gassendi Democritus (aut quisquis alius perinde ac ille qui innumerabiles tueretur mundos communicantes inter se) esse hanc rerum infinitatem quasi quandam sylvam arboribus sic conlectam, ut ea heinc inde seu quasi ad dextram lavamque longissimo tractu & quadam quasi fascia densissima sint; antrorsum autem retrorsumque ac ipsam extra fasciam variores. Nempe ut qui esset in media quasi fascia, conspiceret ante & pone per patentes campos raras arbores, dextrorsum autem levorsumque frequentissimas contueretur. Ita si in rerum immensitateingas quandam veluti fasciam mundorum seu potius stellarum, non solum ad dextram lavamque verum etiam sursum deorsumquejacere; ac nos cum nostro Sole (habito quasi una ex illis) intra hinc quasi fasciam comprehendi; concipies quamobrem innumeras stellas circumfusas sursum, deorsumque & ad latera, hoc est in orbem circulumve, qui sit Lacteus, habeamus; cum & in quacunque alia intra ipsam stellam degeremus, par foret species apparitura (& nostro quidem Sole quasi una inter ceteras viso) ac propioribus semper stellis, ut majusculis sic citra telescopium visis; reliquisque ut remotioribus & minutulis sic sine telescopio inconspicuis. Concipies quoque cur extra hunc tractum sive hanc quasi fasciam ac veluti ante & pone rariores stellas conspiciamus, per immensitatem quasi patientiorem liberiolemque quasi respersas; cum & possint alias per ipsam consimiles isti fascia tractusve occurrere; ac se interim heic illeic conspicuo exhibeant aliqui stellarum quasi glomeres (ut in mediis sylvis campis arbores solent)

quis

qui nebulosa stellas sint & canalicent porissimum serena ac altum
nocte. Sed quorsum curiosæ nugæ?

§. 9. Tandem si quæras ex qua materia condita sit Via La-
ctea, respondeo, si statuas ex luce primæva, ex qua reliquæ
stellæ sunt factæ, optime omnino te sentire non negabo. Fu-
it enim illa juxta communem Patrum & Doctorum senten-
tiam lux corporea. Nunc bono cum Deo finem impono
huic discursui: plura si Deus voluerit suo tempore de hac Via
eruditis examinanda propinabo; interea meliora ab aliis ex-
pectans subjungo elegantis Poëtæ JOHANNIS IOVIANI
PONTANI de Via lactea eruditum carmen, subjungendum
Capitis quinti paragrapho ultimo:

Nate etiam si quando oculos ad sidera tollens,
Albentem cœli tractum mirabere forsan,
Addubites quæ causa viam signaverit, an sit
Halitus idem autor, longo quem tramite ductum
Stellarum densus circum se complicat ordo.
Quippe vagus Solem fugiens, torrentiaq; astra
In lævum, dextrumq; latus declinat, & ipsa
Raptatus circum cœli vertigine candet
Sideribus late sparsus, pallentiaq; ora
Stellarum, atq; amnes lactis sub imagine præfert.
Namq; acies obtusa, & non penetrabile lumen,
Et series numerosa, minutaq; corpora parvis
In spatiis versata, procul candere videntur,
Dum nequeunt radios jaculari, & stringere flammam,
Candet, & à multæ caligine confusus aer

Hinc illinc agitata, & lætea constat imago.
Nec tibi non fera sunt sævorum nota gigantum
Prælia, non phlegræa phalanx, superûmq; labores,
Intentansq; deûm excidium Briareius ensis.
Ergo illi simul ingenteis involvere monteis,
A Borea q; Austro q; ingens simul ardor utrinq;
Utrinq; & metus ingens, exitiumq; paratum.
Terra novum auxilium natis tulit, excitat antris
Nigranteisq; globos fumorum, & sidera foedat
Pulveribus, tetra offundens caligine divûm
Attonitas acies, atq; arma micantia frustra.
Cedebat rerum genitor, cedebat & ipse
Bellipotens Mavors, frustra Latonia tendit
Dictæos arcus: nigrantem ex axe Booten
Excussat caligo, haurit globus Oriona
Pulvereus, cæcum capulo dum sustulit ensen.
Ecce autem flammis, & luce coruscus Eoa
Phœbus adest, Phœbum sensit nox; illicet ipse
Restituitq; aciem, & dextra lævaq; coegit
Cedere fumificum discusso pulvere nimbum.
Ergo ubi laurigeris victoria constitit alis,
Et cœlo pax nota redit, monimenta quod essent
Antiquæ pugnæ, volucres subsidere fumos
Et statuit pater, & solio sic jussit ab alto.
Atq; hinc pulvereus manet inter sidera limes,
Qua victor pepulit flammato turbine Phœbus.
Nec vero naturæ omnis vis cognita, quando
Multa latent; tamen & causas scrutamur, & unde
Proveniant. Candorq; viæ limesq; per astra

Fusus in incerto est. Nebulas insidere Cancrī
An ne eadem caligo, quoq; causa notarit,
Hoc quoq; in incerto est. Nam plura subesse videntur,
Quæ certent ratione eadem, aut adversa repungnent,
Lactea cur niveo canescat semita tractu,
Cur nebulosa cavo pallefiant sidera vultu.

Emendanda

Proœm. §. 1. lege dissimulem. Cap. I. § 6. l. 9. Erichthonium. l. 17.
polos. Cap. V. §. 4. lin. 3. judicent. Cap. VIII. §. 6. sub fin. modo.

TANTVM HAC VICE.



TANTVM HAC VICE